



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia
Spiritvalia Qvdraginta, De Sacrosancto Eucharistiæ
Sacramento**

Pinelli, Luca

Coloniae, 1608

Christvs Crvci Affigitur. Matth.15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

DE PASSIONE CHRISTI. 33
CHRISTVS CRUCI AFFLIGITUR. Matth. 15.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONTEMPLARE quomodo postquam ad montem Caluariæ peruentum fuisset, ministri cernentes Christum deficere, tum vt ad supplicium crucifixionis sustinenda vires ei suppetere, tum vt in gustu cruciaretur, obtulerint ei vinum felle mixtum, quod ille gustauit, vt nulla nec pars neque sensus corporis à tormento liber esset, sicque pro tuis inordinatis appetitionibus satisfaceret.

II. **C**ONSIDERA, quomodo vestimentis Christi flagellorum vulneribus, propter graue crucis pondus inherentibus, cum ministri eum ingenti cum crudelitate nudarent, omnia vulnera renouauerint, & pellem simul cum vestibus non sine maximo Christi dolore abstraxerint.

III. **A**SPICE quomodo CHRISTVS super crucem extensus, brachia sua ipsemet explicauerit, & magna cum animi fortitudine atque charitate, ferreis clauis manus & pedes transigi permisit.

1. **F**ili si post infatigabile in bonis operibus studium, molestiam ab aliquo pateris, noli indignari & impatienter ferre, quia Christo post tot cruciatus, sel bibendum offertur.

2. Quanto plus carni tue indulseris, tanto magis crucem pro Christi amore perpeti recusabis & tanto minus idoneus eris ad sequendum Christum in montem Caluarie.

3. Fili, noli unquam laborare ut crux sese accommodet, sed ad exemplum Christi, crucem accommoda.

COLLOQUIUM

Tempus est Saluator mi, vt tandem alio quando quiescas, quandoquidem extinere fatigatus es, & vulnera flagellati corporis tui residuum sanguinem extillat. Sed vbi requiesces afflictissime IESU? nunc quid in brachijs amantissimæ matris tuæ? Eheu! ingrata Synagoga alium tibi lectum præparauit, crucem videlicet: lectum doloris plenum, lectum præsentaneæ mortis. O Sancti Angeli, qui nascente Christo, quando in præsepi reclinatus fuit obstupuitis, quid nunc vobis animi est, cum eundem Christum cernitis nudum, vulneribus referens, & in

DE PASSIONE CHRISTI. 59

& in crucis ligno distentum, ut ei non funibus
veluti ad columnam, alligetur, sed fer-
reis clavis affigatur? Hei: Nos manus & pe-
des ad arborem veteram extendimus, & tibi ad
huius criminis expiationem, manus & pedes
clavis transuerberantur. O Ministri, si non
permouet animos vestros ad commiserati-
onem filij afflictio, moueat saltem maesta
mater, quae ictus vestros in anima sua tam
sensibiliter percipit, ut verè dici possit, vos
eam simul cum filio crucifigere. O clavi,
quandoquidem truculenti carnifices nulla
Christi pietate tanguntur, estote vos mites
creatori vestro, & igne ardentissima car-
nitatis eius permolliti, omnem aspe-
ritatem in manibus & pedibus
eius transfigendis de-
ponite.

CHRL